

*dati, id est manifestati; cunctis enim manifestabitur, cunctis videntibus præcipitabitur.*

**VERS. 43.** *Laudate, gentes, populum ejus, quia sanguinem servorum suorum ulciscetur. Et vindictam retribuet in hostes eorum, et propitius erit terræ populi sui. Laudate, gentes, populum ejus, lætamini, gentes, cum plebe ejus, beatum dicite, gentes, populum, cujus Dominus Deus ejus, quia non peribit*

*A patientia populi v. l. servorum ejus. Sanguinem enim servorum suorum ulciscetur, et vindictam retribuet in hostes eorum dicendo: « Disceditis a me maledicti in ignem æternum, » et propitius erit terræ populi sui, dicendo: « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est a constitutione mundi. » Sic hodie laudamus nos gentes. Hæc enim nostra fides, hæc nostra confessio est.*

## MONITUM IN EPISTOLAM SEQUEMTEM.

Epistola Gerhohi ad Eberhardum ep. Babenberg. *Quomodo secundum S. Hilarium glorificaturus Filium Pater major, glorificatus autem Filius minor non sit: cum in Symbolo Athanasii Filius æqualis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem dicatur, ejusdem libro De Gloria et honore Filii hominis merito præponenda est, utpote quæ huic scribendo, adversariis obmurmurantibus, occasionem præbuit. Ejus apographum beneficio cl. V. R. D. Eugenii, præfecti bibliothecæ Claustro:neoburgensis, in qua cujusdam codicis antico asserti cœva fere manu eam inscriptam deteximus, ad nos perlatum est. Cæterum Gerhobus propositam quæstionem num. 4 dissolvit atque, beatum Athanasium, qui Filium Patre minorem affirmat, minoritatem illam naturæ humanæ assignare, cum dicat: minor Patre secundum humanitatem; sanctum vero Hilarium, qui minoritatem negat, gloriam hominis in Deum glorificati magnificare, dum dicit: « Glorificatus jam Filius minor non est. » Itaque istos catholicos nullo modo sibi esse contrarios vel contradictorios, sed exigere lectores, et intellectores, inter naturam humanam, conditione parvam, et ipsius gloriam divinam, penitus ineffabilem et immensam discernentes, etc.; quæ omnia multo diffusius et limatius, pertractat in infra excuso libro De gloria et honore Filii hominis.*

## VEN. GERHOHI

PRÆPOSITI REICHERSPERGENSIS

# EPISTOLA AD EBERHARDUM BABENBERGENSEM EPISCOPUM.

*Quomodo secundum S. Hilarium glorificaturus Filium Pater major; glorificatus autem Filius minor non sit; cum in Symbolo Athanasii Filius æqualis Patri secundum divinitatem: minor Patre secundum humanitatem dicatur.*

(D. B. PEZIUS, *Thes. Anecd.* tom. I, parte II, p. 315, ex cod. ms. inclytæ canonice Claustro-Neoburgensis ord. Can. Reg. S. Aug. in Austria, studio et benevolentia adm. rev. et cl. D. Eugenii Purcklbauer, ejusdem loci canonici et bibliothecarii.)

**F.** venerabili Babenbergensis Ecclesie antistiti, frater G. devotum cum assiduis orationibus obsequium.

**I.** Stultas et indisciplinatas quæstiones, monente Apostolo, vitandas, libenter caveo; et ideo de rebus involutis curæ disputatoribus indisciplinatis, aut stultis invitatus confero. Quibus, quia vos longe dissimilem exhibulistis, cum sapienter ac disciplinate mecum loquendo contulistis; libet adhuc vobiscum conferre ore ad os loquendo, vel scribendo super illo nostro, quod vidistis, opusculo, in quo illud vos, ut dicitis, offendit, quod ibidem sanctus Hilarium introducit, diceas: « glorificaturus Filium Pater major est; glorificatus autem Filius minor

**B** non est; » cum in fide Athanasii eandem de Filio jam glorificato: æqualis Patri secundum divinitatem: minor Patre secundum humanitatem. Videtur enim vobis, quod nos astruamus Hilarium Athanasio contrarium, sive contradictorium, quod non est. In contrariis namque sive contradictoriis propositionibus affirmatio et negatio simul non possunt esse veræ, quia in eis idem de eodem affirmatur et negatur. Hic autem non est ita, quia, licet affirmetur et negetur idem, sed non de eodem. Nam beatus Athanasius, qui Filium Patre minorem affirmat, minoritatem illam naturæ humanæ assignat, dicens: *minor Patre secundum humanitatem.* Sanctus vero Hilarium, qui minoritatem negat, gloriam hominis in Deum